



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 154. An sit usura, si mutuans moneat mutuatarium de gratuita remuneratione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42561

licite possum acceptare, ergo. Scriptura & citi-
 cap. tantum damnant intentionem accipiendi
 aliquid supra sortem, tanquam ex justitia debi-
 tum ratione mutui, sic enim esset usura menta-
 lis, foretque etiam obligatio restituendi, (: nisi
 consideratis circumstantiis præsumi posset mu-
 tuatarium gratis dedisse, & non tanquam ex ju-
 stitia debitum :), tum enim non voluisset dare
 liberaliter, & volens dare tanquam ex justitia
 debitum errasset in motivo ac substantia, conse-
 quenter donatio esset nulla.

908 Q. 154. An sit usura, si mutuans moneat mutu-
 tarium de gratuita remuneratione. R. Affirmant Ric-
 Sot. Angles & alii, quia cum rubore necessitet ad
 remunerandum, est tantumdem ac coactio
 pactum implicitum. Contradicunt Caj. Mol. In-
 nac. Salon. & alii cum Dian. p. 1. t. 8. R. 62. Log-
 d. 25. n. 30. Sporer n. 33., quia re ipsa non inter-
 cedit verum pactum, nec coactio, sed tantum pe-
 titur compensatio antidotalis, ad quam quis
 beneficium accipiens ex jure naturæ tenetur, ve-
 detur enim æquum & justum, inquit S. Th. Opus-
 73. de usuris. c. 4. ut beneficio exhibito reddatur ali-
 quod emolumentum, quamvis secundum rei veritatem
 non debeat talis beneficio aliquid ex justitia, nisi tan-
 tum ex gratia, quod est benevolentia & gratiarum ac-
 tio. Dicit quidem Tambur. §. 2. n. 7., si sit nimis
 importunus in admonendo, esse usuram, quia
 mutuarius cogitur dare, ut redimat vexam,
 Steph. autem t. 4. d. 9. n. 99. dicit spectandam esse
 mentem mutuantis, nam si intenderit non aliter
 mutuare, videtur intendisse causare obligatio-
 nem in mutuatorio, quam postea urget, ergo erit
 usura saltem mentalis; quod magis tenet, si ali-
 quid

quid determinatum exigat, v. g. pecuniam, nam obligationi antidotali satisfieri potest per quidvis. Quòd si antequam det mutuum, sic excitet mutuatarium ad gratitudinem, rectè notat *Pollenter* super prop: ab *Innoc. XI* damnatas n. 1269. frequenter fore pactum tacitum, nam mutuatarius intelliget se postea obligandum, non ex mera liberali gratitudine, sed tacita quadam conventionione.

Q. 155. An sit usura, si per legatum sint tibi relictæ 909
1000: daleri, & interim dum non solvuntur, accipias aliquid pro interesse, postea autem totam summam. R. Putant aliqui esse usuram, alii negant cum *Castrop.* d. 6. p. 2., sed respiciendum est ad præsumptam saltem voluntatem testatoris, ab ea enim pendet, ut dicatur, an habeas vel non habeas jus ad tale interesse, si enim voluit, ut statim fruereris, habes jus; si autem voluit solvi pro commoditate hæredis, non habes jus. Quid autem dicendum sit circa dotem uxori promissam sed non solutam, dicitur n. 1115.

Q. 156. Quid dicendum sit, quando valor rei mutuatae postea crescit vel decrescit. R. Seqq: §. 1. Quando pecunia mutuata fuerat, v. g. 100: ducati in auro, & postea valor auri crescit, si mutuata fuit in ratione monetæ, id est, secundum valorem extrinsecum, prout ducatus in commercio humano valet, nunc v. g. duos & medium imperialem, satis est reddere in alia specie, quantum aurum tum valebat, quia per accidens se habebat species auri, sed mutuabatur tam multum monetæ: si verò mutuata fuit in ratione mercis, id est, secundum valorem intrinsecum, quia aurum illud erat tantæ perfectionis & ponderis, 910